XXII
BENTON.

DE LEGVM SPLENDORE, AC VTILITATE ORATIO,

INITIO STVDIORVM HABITA IN AVDIT. MAGNO IVRISTARVM BONON.

A IOANNE BERTOLOTTO CLE. BONON.

DIE XIX. OCTOBRIS MDC.



BONONIAE,

Apud Hæredes Ioan. Rossij. MDC.

Superiorum permissu.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSMO DOMINO, D. ALPHONSO PALAEOTTO BONON. ARCHIEP. ET PRINCIPI DIGNISSIMO.

Ioannes Bertolottus Bonon. S.P.D.

CVM *tenuem hanc Oratiunculam* (ILLVSTRISS. PRAESVL) *typis, præloq; indignam, frequens amicorum impulsus, in lucem prodire compelleret, tum bono ipsam nomine in vulgus exituram speraui, si patronum nacta esset eiusmodi; qui eam iudicio probare, authoritate illustrare, & virtute tueri facilè posset; quæ quidem, vt alijs non desint, tibi tamen suppetunt omnia cumulatè. Accedit insuper, quod Amplitu-*

dinis Tuæ firmißimo dudum Patrocinio ita sum addictus, vt qualescunque ingenioli mei primitias Tuo semper nomini dicandas esse existimarim. Hanc igitur læta fronte suscipe, dignerisq; interim exile munusculum animi magnitudine compensare, & minimam fortasse fiduciam, quam mihi de Tua humanitate sumpsi, æqui, boniq; consulere.

Vale, ILLVSTRISS. PRINCEPS, *& Bononien. gregis sapientißime Pastor.*

ORATIO.

QVALE mihi onus impositum (N.N.N.) quę relegata prouincia, quę causa commissa iam satis, superq́; intelligo; Nimirum onus grauissimum humeris imbecillibus, perdifficilis prouincia viribus tenuissimis, resq́; admodum ardua Oratori omni penitus Eloquentiæ genere destituto. Agendum enim mihi est de LEGVM SPLENDORE AC VTILITATE, coram doctissimis præstantissimisq; viris, coram ijs, quorum in hac facultate clarissimum nomen iam fere in totos terrarum orbis angulos se diffudit, coram ijs deniq;, quos magis humilis audire sedens quam audax stans edocere deberem. Verum vtcumq; ipsa me rei magnitudo deterreat, grauissimorum virorum conspectus vtcumq; distrahat, nusquam tamen vestra benignitate fretus reticere, & quæ iam mente concepi turpi silentio inuoluere valebo. Vos eo libentius orationis meæ seriem attentis auribus percipere decet, quod præcipuę breuitati studens iam vix exorsus ad finem quam celerrime percurram.

Sapienter inquirentibus nobis humanæ creationis exordium, illud profecto imprimis occurret, hominem idcirco ad Dei imaginem esse conditum, vt proprij imitator esset creatoris, atq; hanc esse singularem nostri generis dignitatem, si in nobis tamquam in speculo quodam diuinæ sapientiæ splendor elucescat. Gen. 1. Hinc quosdam quasi igniculorum fomites optimus ipse naturæ parens in homines iniecit, quibus ad virtutes scientiasq; capescendas adeo inflammantur, vt Peripateticorum Princeps, cuius clarissimum iubar omnes pene Philosophorum palæstras illustrauit, natura homines incredibili Meta. 1. sciendi desiderio teneri affirmarit; Idq́; adeo verum esse apparet, vt homo eousq; à belluis differre videatur, quousq; naturali ductus impulsu scientias expetit, ijsq; tamquam dulcissimis animæ suæ cibis enutritur; sunt .n. artes ac discipli-

næ veluti adminicula quædam, quibus ita natura nostra fulci-
tur, vt, si deficiant, statim in mille errorum foueam prolaba-
Cic.de Ani. tur. Quod quidem præclare intuitus Socrates ille, qui vnus ab Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus, summum in scientia bonum, summum vero malum in ignorantia collocabat; Et Diuinus Plato
In Tim. tanti artes, disciplinasq; fecit, vt qui sine illis aliquam vitæ partem transegisset, hunc quoq; reliqua vitę aura merito orbandum esse existimaret.

Quæ sane cum ita sint (Auditores) sitq; ille tantum verus ac perfectus homo, qui aliquo scientiarum genere quærit imbui, & viri eruditi nomine insigniri (vt iam ad rem nostram propius accedamus) quænam vnquam dignior scientia, quæ præstantior disciplina, quam legum peritia, iurisq; prudentia? Si .n. non modo res ipsas, sed ipsam quoq; rerum seriem, quas illa continet recta mentis acie intuemur, si totius Christianæ Reipub. diuinum pene regimen, si vitiorum pœnas, & virtutum præmia inspicimus; Hæc vna intelligentiam perficit, memoriam excitat, voluntatem accendit, moderatur affectus, mores componit, atq; totum hominem summo Deo & rationi conformat. Hæc vna vrbes erexit, passim per arua aberrantes homines congregauit, ciuiles mores instruxit, disciplinam induxit, & rectam viuendi normam iam penitus extinctam releuauit. Hæc vna errorum tenebras illustrat, dubia ressoluit, veritatem edisserit, mendacia dissipat, necessitatibus occurrit, oppressos iuuat, defessos recreat,
Matt. 22. quid plura? hæc vna suum vnicuiq; tribuit, quodq; Cæsaris est Cæsari, quod Dei Deo reddit. Verum non sunt istæ iurisprudentiæ laudes, non sunt hæc tam diuinæ scientiæ encomia; altius quippe legum est origo repetenda, vt perinde quæ sit præcipua ipsarum nobilitas innotescat. Non .n. existimandum est (Auditores) ius istud, quo vniuerse terrarum orbis regitur, ab hominibus ortum sumpsisse, & leges, quas merito sacras dicimus, obscurum in terris exordium habuisse. Nempe in cœlestibus sacrarum veneranda legum authoritas duxit originem; Nempe à rerum omnium parente Deo sacrosancta iuris potestas traxit initium, tamquam ab æterno

fonte

fonte perenne flumen, flumen (inquam) vt lætificet ciuitatem Dei, vt vberrimos aquæ suæ fructus Christianę Reipub. impertiatur. Nam quamuis (vt ex vetustissimis rerum gestarum monumentis accepimus) Moyses primus omnium leges Hæbreis tradiderit, Phoronæus Rex Gręcis, Mercurius Trismegistus Aegiptijs, Solon Atheniensibus, Lacedemonijs Licurgus, Remo cum fratre Quirinus Romanæ vrbi iura dederint; Haud tamen censendi sunt hi omnes primi legum authores, ita vt eas tanquam à se ipsis casu excogitatas tulerint, sed fateri indubie oportet eos veluti diuinæ instrumenta virtutis id, quod Deo inspirante perceperant, palam mundo aperuisse, ius autem omne, quo vtimur, ab æterni sapientia verbi promanasse. Quod sane eo clarius patet, cum veteres quoq; sapientes viri, quamuis verę fidei lumine orbati, idipsum sæpius affirmarint. Inter quos duo illa perfectæ eloquentię sydera Tullius & Demosthenes præclarissimæ fulgent; quorum alter: πᾶς (inquit) νόμος εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν; nimirum omnis lex inuentum est munusq; Deorum. Alter vero, lex (ait) nihil aliud est, nisi recta, & à numine Deorum tracta ratio imperans honesta, prohibensq; contraria. Si ergo Deus, cui nullus similis est in legislatoribus, legem nobis cœlitus reuelauit, plane verax, certa, & ab omni prorsus errore aliena, ac perinde omnium scientiarum nobilissima censenda erit; cuius quidem adeo est veneranda Maiestas, vt cum primum in Montem Sina ad Hæbreorum gentem e cœlo delapsa est, & buccinæ sonitu, & tonitruum strepitu, & flammarum splendore populus mirum in modum perterritus exclamarit: Ne loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Quinimo igneā in manu Domini legem Moyses attestatur, vt eius præstantia omnibus liquido appareat; nam quemadmodum ignis inter prima rerum elementa principem sibi locum vendicat, ita etiam symbolica ignis metaphora peroportune legis nobilitas declaratur. Cęterum si pio magis ore loquamur, quis valeat hanc legis dignitatem mente cōtingere, quam diuinum illud Euangelicæ veritatis pręconium ad Romanos scribens exposuit: Lex (inquit) est cognitio peccati. Quæ autem animæ

Psal. 45.
Isid. lib. 5. Etim. cap. 1.
Ad Gal. 3.
Dem. in Aristog. oratione prima.
Cic. Phil. 10.
Iob. 30.
Ex. 19. & 20.
Deut. 33.
Ad Rom. 3.

nostræ nobilitas, quis splendor ex hac peccati notitia suboriatur, nemo plane est qui ignoret. Peccatum qui agnoscit, ab illo cauet, iniquitatem odit, diligit æquitatem, vitia insequitur, virtutes amplectitur, & propriæ haud oblitus dignitatis se ab eo prorsus immaculatum seruare perquirit; At vnde ista nobilitas? certe ex vnica iuris legumq; notitia. O igitur præstantissimam, ò millies Augustissimam legum iurisq; prudentiam, quæ veluti miro gaudet nobilitatis splendore, ita etiam sui studiosos incredibili decore, & præcipua quadam nobilitate exornat. Respicite (obsecro Auditores) in hac vrbe nostra Iurisconsulti domum, hanc plane videbitis esse totius Ciuitatis oraculum, hanc humanæ gloriæ templum, hanc cęlestis sapientiæ ærarium, hic controuersias omnes distrahi, lites dirimi, maleficia puniri, hominum animos inter se conciliari, & ius suum vnicuiq; tribui, est .n. Iurisconsultus æqui, boni, iusti, & recti administrator, cœlestis iustitiæ interpres, diuinæ voluntatis internuncius, & publicæ priuatæq; concordiæ conseruator; Huic administrandæ vrbes, huic defendenda Regna, huic imperia regenda committuntur, huic gradus in Republica, dignitates, & officia tum Ecclesiastica, tum etiam ciuilia passim demandantur. O summam igitur iurisprudentiæ dignitatem, ò inaccessibilem legis splendorem, quid .n. aliud (si oculos apponamus) quid (inquam) aliud est lex, nisi lux? † lux vera, quæ totum orbem illuminat † lux clara, quæ familias illustrat † Lux sancta quæ hominis nomen exornat † lux perpetua, quę cęlorũ iter ostẽdit. O lex, & ò lux. Sine luce nõ viuimus, sine lege perimus, sine luce non cernimus, sine lege dilabimur; sine luce nox regnat, sine lege error imperat; sine luce orbis cadit, sine lege homo ruit; O lex iterum, & o lux, lux candida, lex immaculata; lux rutilans, lex illuminans; lux ardens, lex ignea; lux aurea, lex vero gemmis, auroq; præstantior; lex denique cui tantum tribuitur, quod cæteris scientijs fere negatur, quæ sola reliquis omnibus tanquam Regina præest, & quasi Augustissima Imperatrix dominatur. Iam vero non minor sane (si attendatur) nobilitate vtilitas apparebit. Quis .n. vnquam

Inst. proe. in fine.

C. Venerabilis de pręb.

Cic. de orat.

† Auth. vt om. ob. iud prou. col. 5.

† L. prou. cod. de postul.

† Inst. de re. diu. § sãctę.

† Auth. d hęr. & falc col. 1.

Psal. 18.

Ibid.

L. 1. ff. de var. & extr. cogn.

quam ſanctiſsimæ huius ſapientiǽ fructus recto mentis intuitu complexus eſt? Fructus quidem (Auditores) tanti ponderis, vt non modo ſimpliciter vtiles, verum etiam neceſſario opportuni dici poſsint. Sunt .n. leges perneceſſariæ non modo ad Imperiorum regimen, & ciuitatum, ſed etiam ad rectam Elementaris huius mundi conſtitutionem; Quo circa ſummus ille cœlorum rector & gubernator, qui certa lege & gyro vallabat abyſſos, & legē ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos, creata omnia perpetua quadam legē conſtrinxit, qua æternus rerum ordo ſeruatur; Quis .n. non videat diuina lege ſancitum, vt cęlorum orbes moueantur, ignis ſurſum feratur, aer in medio locetur, aqua in alueum congregetur, nec ſuos prætergrediatur limites, terra vero deorſum contineatur, & ipſo quaſi orbis medio libretur, & appendatur? Quod ſi ad huius elementaris Mundi conſeruationem lex fuit non modo vtilis, ſed neceſſaria, quid de paruo hoc mundo dicemus? quid de hoc Microcoſmo? qui poſt contractam originalis peccati labem, ſpecie æqui & boni ſæpius decipitur, atque in ſuam perniciem inani captus delectatione nimium pręceps ruit? Plane affirmandum erit legem ei adeò opportunam, adeo neceſſariam eſſe, vt illa ſublata, quemadmodum nec natura rerum, ita nec genus humanum, nec gens, nec ciuitas, nec tandem domus vlla conſiſtere queat. Tolle leges, homo iam amplius non proprio ſimilis eſt conditori, neque paulominus ab Angelis diminutus apparet, ſed iumentis fere inſipientibus comparatur. Tolle leges, videbis illico oppida latronum fieri receptacula, vrbes iniuſtitiæ, iniquitatis, iniuriæ, contentionis atq; diſsidij eſſe conſortia. Tolle leges demum, & omnia ſubuerſa, euerſa, & in vitium conuerſa videbis. Non tantum profecto patriam arma iuuant, quanto ei ſunt adiumento leges; Armorum namq: vi hoſtium copias repellimus, vt pacem conſequamur, legum virtute partam iam pacem cōſeruamus; Armis iniuriæ propulſantur, legibus ne fiant iniuriæ cauetur; Armis agrorum limites cuſtodimus; legibus quæ iam noſtra ſunt in pace poſsidemus, Armis denique ab hoſtium inſidijs humana vita defenditur, legibus vero

Sap. 8.

Gen. 3.

Pſal. 8.

L. Aduocati C. d Aduoc. diu. iud.

vero sua cuique res, suus honos ac vita ipsa perpetuo tuta redditur. Hanc autem eximiam legum vtilitatem quis vnquam dilucidius explanauit, quam primus ipse iuris ciuilis auctor & reformator? quam Augustissimus ille Iustinianus

Init. inst. Cæsar, qui Romanarum legum fons & origo iure merito potest nuncupari?dum in ipso Imperialium institutionum proemio notissima illa verba protulit: Imperatoriam Maestatem non solum armis decoratam, sed & legibus oportet esse armatam. O miram igitur legum vtilitatem, ò admirabiles iurisprudentiæ fructus. Sed hoc exemplis fortasse potius quam rationibus esset comprobandum; Non .n. desunt apud nos & veterum ciuium & præsentium innumera fere exempla, quibus & facultates & dignitates sola legum peritia cu-

Pla.i vit.sum. Pontif. mulate suppeditauit. Quot summi Pontifices? Quot Sanctæ Rom. Eccl. Cardines? quot Episcopi, Archiepiscopi & Pri-

Gherard. in Cron.Bon. mates? quot Rerumpub. administratores? quot iuris interpretes? quot præfecti vrbium? quot iudices? qui si omnes sigillatim hoc loco enumerandi essent, nunquam exitum reperiret oratio, cui tamen iam mox extrema est imponenda manus, ne videar vestra longius benignitate abuti. Cum igitur tantus sit sanctissimæ huius disciplinæ splendor, cum talis vtilitas, & multo sane præstantior, quam à me breui temporis interuallo, tenuiq; sit oratione complexum. Quis vestrum (Iuuenes ornatissimi) iam iam non cupit, optat, expetit, exardescit legum sapientia imbui, & præstantissimæ huic scientiæ lucubrationes omnes, cogitationes, labores, studia, mentem deniq; omnem addicere? Habetis sapientissi-

Luc. 3. mos in hoc Bononiensi Gymnasio Iurisconsultos, qui præclarissimo eruditionis suæ fulgore intellectus vestri tenebras illustrent, qui acutissimis solutionibus praua faciant in directa, & aspera in vias planas, qui deniqne in vobis studij huius igniculos optimis præceptis incendant & inflamment. Non desunt infiniti pene legum interpretes, quorum vberrimi Codices, ampla volumina, Glossæ, Decisiones, Consilia, Bibliothecas omnes replent & exornant. Hos vobis acquirite, his sedulam nauate operam, Hos tandem nocturna ver-

sate

ſate manu, verſate diurna. Ita .n. fiet vt quem nunc legum ſplendorem, quem fructum attentis auribus imbibiſtis, poſt peracta ſtudia, poſt confectos labores, poſt exactas lucubrationes, in vobis demum ipſis perpetuo ſentiatis. Dixi.

F I N I S.

B O N O N I Æ,
Apud Hæredes Ioan. Roſsij M D C.
Superiorum permiſſu.